



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Pavli Iaponii Ad Societatem Iesv In Indiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11473

promis ut plurimum victitant. & quidem ita prospera valetudine ad multam vsque senectutem vtuntur, vt facile appareat, quam paucis sit eadem, quæ alioquin est insatiabilis, natura nostra contenta.

Vos item, carissimi fratres, (quoniam tanta vobis provincia preterit) vigilate animis; vestramque industriam ac pietatem in christo cælesti probare contendite, id assequimini, si Christianam militatam & sensibus intimis colueritis, & moribus expresseritis ac vita: quod ad existimationem auctoritatemque attinet, totum id Domino permittentes, qui vobis eam ipse per se conciliabit proest: quod si facere omiserit, vestra causa videlicet, ne, quæ Dei sunt, vobismet arrogetis, omiserit. Illud verò vos ego etiam atque etiam obtestor, vt veram inter vos pacem atque concordiam omni ratione retineatis: summaque ope nitamini, vt ne qua in vobis semina dissensionis existant: præclaros illos vestros conatus ac studia pacis pro Christo conferatis interim ad omnem discordiam spiritum bellandum, memores affirmasse Christum, ea re suos cognoscere, si se diligerent inuicem. Gratiâ suam Dominus Deus nostram voluntatem animis nostris insinuet, quo ex ea quam maxime facta faciamus. Cangoxima, Nonis Nouembris, MDXLIX.

PAVLI IAPONII AD SOCIETATEM

IESV IN INDIAM.



Quod mihi maximè fuit optatum, vt in Iaponia dire, matrem meam, & uxorem, ac filiam, cognatos proterea ac familiares meos ab impio demonum cultu ad Christi religionem traducere mihi liceret: iam Dei Domini nostri clementia singulari sum sequutus. Nunc autem alia me coquit cura, vt quemadmodum ad Christum conuersi sunt, sic in fide, quam cõderunt, firmi stabileque persistant. quod ego cum à Domino procor identidem; tum vos, per Christum, vt in precibus vestris sacrificiis mei meorumque memores sitis, obtestor: quandoquidem ad salutem (nisi principiis consentiant exitus) capisse nil prodest Iaponii me sanè quam libenter audiunt de Iesu Christo verba dicentem. itaque multos, fauente Deo, Christianos fore confidimus. Nos hic omnes corpore (vtinam æquè spiritu) bene valemus, & quam à vobis locorum interuallo disiuncti sumus; tamen & animis in presentia cõiuncti videmur, erimus aliquando corporibus videlicet cum ad extremum iudicium excitabimur, vtinam cum Domino regnaturi. Cangoxima, Nonis Nouembris, MDXLIX.